DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

MELANCHOLIA.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

MELANCHOLIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu; et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO

GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

HENRICUS CAROLUS BOISRAGON,

HIBERNUS,

SOCIET. NATUR. STUDIOS. EDIN.
SOCIUS.

" *And Melancholy mark'd him for her own.*" GRAY.

Ad diem 24. Junii, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

M DCC XCIX.

MATERTERÆ

MARITO,

BARTHOLOMÆO FULLER

BELFASTIENSI,

ARMIGERO,

PERITISSIMO CHIRURGO,

VIRO

TAM

JUSTI ET ÆQUI

OBSERVANTISSIMO,

QUAM

BENEFICENTISSIMO,

HANC DISPUTATIONEM,

PRÆTENUE

GRATI ANIMI

ET

VERÆ AMICITIÆ

TESTIMONIUM,

D. D. CQUE

HENRICUS CAROLUS BOISRAGON.

CONSOBRINO,

CAROLO O'LAYARD, D.D.

S. R. S. ET A. S. S.

PEREXIGUUM HOC

AMICITIÆ

ET

OBSERVANTIÆ

PIGNUS,

EX

ANIMO,

OFFERT

HENRICUS CAROLUS BOISRAGON.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

MELANCHOLIA.

§ I. AD hunc morbum, quippe cùm non solùm multiformis sit, et haud rarò, unà cum aliis morbis cerebri et nervorum propriis, existat, sed etiam sit sanatu difficillimus, medici, omni ferè ævo, animum summâ curâ adverterunt. Neque, enimvero, hoc mirum; quum, omni seculo, non philosophi modò, sed poëtæ quoque, ingenia exercu-

erint, investigando unde oriatur, et excogitando qua optimè ratione perducatur ad sanitatem.

II. Melancholia sæpe primarius morbus est. Verùm adeò tamen sæpe cum *dyspepsia* et *hypochondriasi* consociatur, et tot sibi, cum his morbis, communia habet, ut indubiis signis eam ab his distinguere nemo medicorum quisquam possit.

III. Melancholia a CULLENO definitur, "*insania partialis sine dyspepsia*." Hic verò auctor, quo nullus morbos perspicaciùs dignoscit, ipse, idonea, necne, hæc sit definitio, subdubitat. "*Hypochondriasis*," inquit, "et "melancholia non semper distingui possunt. "Si quando autem possint, nullo alio signo, "quàm per *dyspepsiam* in *hypochondriasi* sem-"per præsentem, in melancholia sæpe absen-"tem, ritè, quantùm video, distinguendi sunt."

IV.

IV. CULLENUS rectè, ut nobis videtur, melancholiam *INSANIAM* definivit; cùm præsertim melancholici plerumque neque res perinde, atque sunt, percipiant, neque ritè judicent et comparent perceptas.

V. An verò melancholia *PARTIALIS* insania rectè, an secùs, definiatur, ipsi CULLENO dubium videtur *. Is enim demum, ex parte insanus est, qui, dum de quibusdam perperam ratiocinatur, rectè atque accuratè judicat de cæteris. Melancholici autem, in omnibus vitæ partibus, meticulosi et lugubres sunt; rerum suarum trepidi; vanis perpetuò soliciti timoribus.

HISTORIA.

* Vid. CULLEN. *First Lines.*

HISTORIA.

VI. Veteres, cùm GRÆCI tum ROMANI, hunc morbum *MELANCHOLIAM* dixere, quia existimârunt, ex μελαινη χολη, *ATRA BILIS*, oriri.

VII. Ad hanc sententiam, ex atra nempe bile oriri, accedunt quidam recentiores; in primis BOERHAVIUS, qui contendit, melancholiam ex malo sanguinis et humorum habitu enasci, quem vetusti scriptores atram bilem nominabant; et, si quando oriatur in animo contristatis, quibus sanguis itemque humores sani sunt, brevi tamen vel prosperrimâ valetudi-

ne

ne gaudentibus committere, ut bilis ex sana in atram convertatur.

VIII. Homines, quibus, præ cæteris, melancholia obrepit, ejus sunt temperamenti, quod ex iis *MELANCHOLICUM* medici appellant. Serii sunt, meditabundi, cauti, anxii; futurorum timidi, atque vigilibus curis tenuati: studiosi tamen sunt amœnitatum naturæ; MUSIS amici, neque rarò ipsi PARNASSO viam affectant. Nonnunquam verò religione perfusi, se nihili putant, vanisque Deorum implentur terroribus: aliàs divino spiritu instinctos putantes, se, præ cæteris hominum, Diis caros acceptosque credunt; atque summo furore moventur in omnes, quorum mens, et mores, et Deorum cultus, a suis abhorrent.

IX. Melancholici studiosum naturâ genus hominum sunt; tenaces propositi; et benignâ plerumque ingenii venâ præditi. Si igitur

liberalibus

liberalibus studiis se pertinaciter dedant, nihil tam reconditum est, dummodo captum humanæ mentis non exsuperet, quin possint studendo investigare; nihil tam difficile, modò non majus humanis viribus, quin possint labore efficere; nihil tam obscurum, quod ingenii acumine non possint illustrare.

x. Melancholici, porrò, corporibus sunt macilentis et strigosis; venis amplis et densis; capillis rigidis, crispis, et nigris. Dubitantes, circumspectantes, hæsitantes, utì animis et cogitatione tardè comprehendunt, ita pertinaces comprehensam ægerrimè remittunt opinionem.

xi. Quanquam melancholia, et *hypochondriasis* seu animus demissus, sæpe unà existunt, et quasi in unitatem coalescunt; tamen, utì nobis videtur, diversi morbi sunt, possuntque satìs dignosci.

XII. Animo demissi, plerumque sunt ventriculo languidi et imbecilles, neque cibos probè perficiunt; atque, propriæ valetudinis timidi, futuros continenter morbos malaque præmeditantur ac timent. Cætera verò animo sano sunt, firmo, constante, atque ratione bene utente, quod, ut aptè ait CICERO, munus animi est *.

XIII. Melancholicorum, contrà, animi ægritudo latiùs patet. Iis enim non præmeditatio modò futuræ invaletudinis animum contristat, verùm torquet quoque timor futurorum malorum, aut fortasse ne futurorum quidem, quæ animis sani antè providere et expectare vix possunt. In ægritudine semper et ubique sunt, quia se semper et ubique in malis esse arbitrantur: qui enim semper cogitant, accidere posse

* Vid. MARC. TULL. CICERON. *Tuscul. Disput.* Lib. iii. cap. vii.

posse aliquid adversi, iis fit illud sempiternum malum. Facetè tristis Jaquesius;

"*I have neither the scholar's melancholy, which is*
"*emulation; nor the musician's, which is fantastical;*
"*nor the courtier's, which is proud; nor the soldier's,*
"*which is ambitious; nor the lawyer's, which is poli-*
"*tic; nor the lady's, which is nice; nor the lover's,*
"*which is all these: but it is a melancholy of mine own,*
"*compounded of many simples, extracted from many*
"*objects, and, indeed, the sundry contemplation of my*
"*travels, in which my often rumination wraps me in*
"*a most humorous sadness* *."

XIV. Dum autem melancholici semper anguntur aut accipiendis malis, aut cogitandis, sæpe stomacho validi sunt, cibosque, velut sani, appetunt et concoquunt.

XV.

---

* Shakspear. *As you like it*, Act. iv. Scen. 1.

xv. Dum melancholicorum animi, ad futura omnigena mala præmeditanda, tam proni sunt, cerebrum, id sanè quod mirum, et nervi torpescunt; pigrescunt sensus; et tardescit voluntas. Musculorum fibræ, præ iis cæterorum hominum, rigidæ et firmæ sunt, et venæ sanguine plenæ.

xvi. Melancholiam descripsimus, qualem depinxerunt vetusti scriptores. ARETÆUS dicit, consistere in mente alienata, et uno rerum genere cogitando occupata, sine febre; at metum semper et mœrorem comites habere.

xvii. Est autem melancholia, a SAUVAGESIO *MORIA* dicta, qua affecti se cæteris feliciores existimant. Hujusmodi melancholici alta quæque cupiunt et spirant; neque, enimvero, timent, se hominum maximis et clarissimis, imò Diis ipsis, pares autumare. Argu-

tè, de hujus generis melancholico, HORATIUS,

"——————*Fuit haud ignobilis* ARGIS,
"*Qui se credebat, miros audire tragœdos,*
"*In vacuo lætus sessor plausorque theatro:*
"*Cætera qui vitæ servaret munia recto*
"*More; bonus sanè vicinus, amabilis hospes,*
"*Comis in uxorem; posset qui ignoscere servis,*
"*Et, signo læso, non insanire lagenæ;*
"*Posset qui rupem, et puteum vitare patentem.*
"*Hic, ubi cognatorum opibus, curisque refectus,*
"*Expulit helleboro morbum, bilemque meraco,*
"*Et redit ad sese: Pol, me occidistis, amici,*
"*Non servâstis, ait, cui sic extorta voluptas,*
"*Et demptus, per vim, mentis gratissimus error* *.

* Vid. QUINT. HORAT. FLAC. *Epist.* lib. ii. Epist. 2.

CAUSÆ,

CAUSÆ.

XVIII. Ter et ampliùs felices sunt medici, qui morborum, ad quos sanandos advocantur, possunt causas cognoscere. Non enim, nostrâ opinione, cùm morbus incidit, sciunt, qua ratione curetur, qui, qua ex causa oriatur, non cognoverint. Cùm ita sit, de melancholiæ causis, paucis dicere nobis consilium est.

XIX. *Proclivitas.* — Temperamentum melancholicum, in quo proclivitatem in morbum, quem persequimur, ponendam opinantur medici, in medulla cerebri, utì putat Cullenus, supra consuetudinem sicca et firma, consistit. Hæc siccitas et firmitas, utì conjectat idem

idem auctor, efficiuntur humoris penuriâ; cùm præsertim cerebra patefacta, supra naturalem consuetudinem, levia et dura inveniantur.

XX. Talia esse cerebra insanorum, qui a melancholicis forsitan tantùm animi ægritudinis magnitudine differunt, incidendo compertum est. Rati igitur medici sunt, fieri posse, ut, ex minore siccitate, firmitate et levitate cerebri, mortales melancholici fiant, ex majore insaniant.

XXI. *Causa proxima.*—Neque morborum, neque cæterarum naturæ rerum, *proximam* causam certò cognoscere possumus. Hanc clarè cognoscere posse, eruditissimi medici et philosophi vix audent sperare. Unde verò in morbos mortales proclives sint, et unde in proclivibus morbi concitentur, neutiquam adeò obscurum est.

XXII. Ca-

XXII. Causarum, quæ, medicorum linguâ, melancholiæ PROXIMÆ appellantur, nimia cerebri venarum plenitudo, ut præcipua, a HOFFMANNO aliisque memoratur; idcirco fortè quòd, incisis post mortem cerebris eorum, qui, dum vivi, melancholici erant, venas haud rarò, supra modum, sanguine plenas *anatomici* conspicati sunt. Vero autem haud absimile est, eos, quorum in cerebris venæ sanguine sic turgebant, insanos potiùs fuisse, qui sanguine icti obiverant.

XXIII. *Excitantes.*—Causarum, quibus concitatur melancholia, præcipuæ sunt, animus vel plurimùm depressus mœrore, vel terrore et metu graviter commotus; mens studiis nimis intenta; amor irritus; animus ab omni spe felicitatis derelictus; corporis extrema diu frigore torpida facta. Fuerunt etiam, qui contenderint, melancholiam moveri morbidâ cerebri *durâ matre,* quæ, præter naturam,

rigida

rigida et densa est*. Quinetiam, utì HOFFMANNO videtur, opio, aliisque ex iis quæ cerebrum nervosque stupefaciunt, nonnunquam concitatur.

XXIV. Quòd melancholia variis et diversis quidem notis insignitur, ideo medici, qui morbos ordinatè disponunt, octo ejus varietates descripserunt. His singulis licèt quædam notæ propriæ sint, omnibus tamen præcipuæ communes.

XXV. Melancholiam accuratè descripsit ARETAEUS. Qui eâ afficiuntur, ii, utì dicit, tristes sunt et animo dejecti, neque tamen, quare ita sint, causa apparet. Timidi sunt; noctes pervigilant; cœtum fugiunt; petunt solitudinem. Eorum alvus tarda est, et interdum,

* Vid. EDIN. *Med. Essays*, vol. iv. artic. xxvi.

terdum, per complures dies, nihil infrà transmittit. Urina, quam solito rariùs reddunt, est naturali parcior et acrior. Facie livescunt, atque toto corpore sunt languidi et debiles.

XXVI. Ventriculo infirmos esse melancholicos, et victum concoquere non posse, haud insolitum est. Neque, profectò, hoc mirum; cùm præsertim corpora parùm exerceant, simulque animo contristentur, quibus sanè utrisque stomachus plurimùm resolvitur. Non solùm igitur præsentibus malis melancholici urgentur, sed etiam futurorum, quæ mens parùm sana suggerit, præmeditatione et timore.

XXVII. 1. Historias melancholicorum haud paucas literis mandavit HOFFMANNUS. Hi omnes temperamento melancholico erant, atque ex iis plurimi ingeniosi. Initio vigiles,

præter

præter solitum, fiebant, neque multò pòst, ex vano, timidi et tristiculi. Pòst aliquantò, spe utcunque exiguâ dejecti, mirum in modum, demittebantur. Tum consuetudine hominum se recipiebant; erantque, enimvero, tristiores, quàm ut vocem citharœdorum, et cantus qui hilares delectant, pati possent.

2. Interdum, positâ tristitiâ et mordacibus solicitudinibus, consuetudine hominum et hilaritate delectabantur. Sed ne hac quidem delectatione animi et voluptate diu frui iis licebat. Subsidiis enim valetudinum deficientibus, intermissiones tristitiæ pedetentim cùm breviores tum rariores fiebant; donec, metu futurorum malorum præteritorum memoriæ juncto, neque variis et undique circumfusis molestiis levatis, miseri prorsùs aut amentes fierent, aut insani.

XXVIII. Carissimi amici, aut res familiares, subitò amissi, nonnunquam stuporem nervorum efficiunt, et intermissionem motuum, qui voluntatis arbitrio obedire solent, qualia in *catalepsia* accidere dicuntur; neque insolitum est, his malis inclinantibus aut decedentibus succedere pertinacem et tristem melancholiam, nullis eheu! herbis, nullâ medicinâ sanabilem.

XXIX. BURTONIUS, auctor obscurus at ingenio tamen insignis, plurimas præterea causas, undique collectas, quibus inducatur melancholia, literis prodidit; easque versibus, ex poëtarum scriptis appositè excerptis, scitè illustravit et ornatè. Nullus auctorum melancholiam, variasque ejus formas, tam diffusè, attamen discretè, scriptis persecutus est: nullius opus perlegenti majorem afferet delectationem *.

* Vid. BURTON. *Anatomy of Melancholy.*

XXX. Verisimile autem est, melancholiam longè sæpissime oriri ex *causis moralibus* animos eorum, qui atro temperamento sunt, contristantibus. Melancholia hinc oriens, tardè et ferme inobservata obrepit. Initio, infelices, quàm antea, tristiores fiunt; ex imo pectore subinde trahunt suspiria; atque, amicorum familiariumque consuetudinis negligentes, solitarii esse malunt.

XXXI. Increscente verò malo, quod et ipsâ solitudine ingravescit, cùm animo imbecilliores fiunt, tum corpore invalidi; adeò ut non solùm stomachus cibos probè perficiendi impotens reddatur, sed etiam animus impar suis officiis et muneribus. Vigiles nunc curæ miseros tenuant, et fessis artubus oculisque arcent somnum.

XXXII. Nonnunquam melancholia usque eò inveterascit, ut miserandi amentes de se prorsùs

sùs suisque desperent, et, appetente vespere, oculis se hominum in abdita vallium, opacave silvarum, recipiant; ubi, ut optimè canit poëta,

"*Black* Melancholy *sits, and round her throws*
"*A death-like silence, and a dread repose:*
"*Her gloomy presence saddens all the scene,*
"*Shades ev'ry flow'r, and darkens ev'ry green:*
"*Deepens the murmur of the falling floods,*
"*And breathes a browner horror o'er the woods* *."

XXXIII. Præter causas, quas diximus, aliæ sunt, quibus oriatur melancholia, præcipuè tristis cœli et morum austeritas. Quantùm natura cœli ad quosdam morbos faciendos, ad alios

* Vid. Pop. *Eloisa to Abelard.*

alios verò sanandos, valeat, medicis jamdudum innotuit.

XXXIV. In regionibus enim polis appropinquantibus, in quibus, plurimam anni partem, tristis hiems dominatur, atque, dum sterilem terram gelu obstringit, cœlum obscurat tenebris et nebulis; animi miserorum mortalium socordiâ torpescunt, vel, si quando intendantur, nihil ampliùs quàm aut præmeditantur et antecapiunt futura mala, aut præteritorum reminiscuntur. Veris tot malis oppressi mortales, nihil meherculè mirum, si animo demisso fiant, aut melancholici, et fictis, iisque gravioribus quidem, torqueantur.

XXXV. Hominibus, qui, in hujusmodi regionibus, sic semper anguntur aut patiendis aut timendis malis, undique sunt molestiæ, undique pericula. Supernè austerus iratusve JUPITER fœdat subjacentes terras imbribus;

imbribus; aut, ventis emissis, rates commoto pelago disjicit, hiantibusve submersas obruit fluctibus; aut rapidum jaculatur e nubibus ignem: infernè solum sterilis terræ nivibus obruitur, geluque torpet. Domi sunt res angustæ, morbi, fames: forìs, frigus, solitudo, famelicæ feræ prædam quærentes.

XXXVI. In ANGLIA, dum, lugubri mense Decembris, pluviosus JUPITER cœlum contristat, melancholia tot mortales afficit, ut a quibusdam medicis appellata *MORBUS ANGLICUS* sit. Tunc verò temporis, ii, præ cæteris, melancholici fiunt, qui, neque quæstui dediti neque literis, otio et socordiâ pigrescunt, veluti pecora, ventri obedientes.

XXXVII. In regionibus, contrà, solis currum propioribus, ut in GALLIA et amœnis locis ITALIÆ, ubi fœcunda TELLUS facilem victum humo

humo fundit, atque benignus Jupiter sudum cœlum præbet, et breves hiemes; ubi, sicut in Elysio poëtarum, ver ferè perpetuum est, placidique Zephyri tepentibus auris mulcent natos sine semine flores; melancholia, qualis ex austero cœlo oriatur, prorsùs ignota est. Mortales, amœnitates almæ naturæ contemplando delectati, quibus omnis sensus voluptatem accipiens jucunditate perfunditur, animis læti sunt ac hilares; dumque effusissimi in præsentes voluptates sunt, raró futura mala, fortè ne futura quidem, præmeditando contristantur.

XXXVIII. Turci autem, etiamsi loca amœnissima et maximè voluptuaria Asiæ et Achaiæ inhabitent, ferè omnes tamen melancholici sunt, vel saltem tristes et austeri. Quare ita sit, quærere, a re nostra haud alienum est.

XXXIX. 1. En dominationem tyrannorum TURCICORUM! qua non solùm extinguitur libertas, sed etiam spes, et vitæ ipsius securitas; neque magis mirabimini, TURCOS tristes aut melancholicos esse, quàm conservare vitam, post amissam libertatem. Quipote enim hilares esse possunt, quibus, voluntatis arbitrio, tristis tyrannus bona ipsamque vitam potest abripere?

2. Quinimo dubitari non potest, quin, ad TURCOS tristes et melancholicos reddendos, conducat religio prava, quæ in eorum animos vi suâ, mirum in modum, penetrat. Tristis enimvero et austera est; et, sicut omnis prava religio, minimis etiam rebus Deos inserendo, miseros mortales perpetuo ferè cultu occupat, eorumque animos vanâ Superorum reverentiâ perfundit, suppliciique futuri metu.

3.

3. Opium, porrò, quo omnes Turci, a summis ad imos, deutuntur, causis, quæ melancholicos reddunt, a Hoffmanno annumeratur; et, putamus, meritò, quippe cùm nihil cerebrum et nervos potentiùs stupefaciat.

4. His, denique, accedat prava consuetudo, quæ apud Turcos invalet, sexum amabiliorem a convictu et societate secludendi. Inamabiles hominum! repugnatis naturæ, meritissimòque perpetuâ plectimini tristitiâ et melancholiâ. Quin libertatem fœminis vindicatis? Vobis, mihi creditote, libertatem adeptæ, hilaritatem restituent, atque facetiis, joculis, fido amore, suaviloquentiâ, amara curarum temperabunt. Allectat natura: licet; at, reclamante pravâ consuetudine, non vultis esse beati.

XL. Ubi plerique hominum aut mercaturas, aut manu merces faciendo occupantur, paucis, nisi quorum animi graviter demissi sint, melancholia obrepit.

XLI. BATAVI, quamvís tam ingenio tam corpore pingues et hebetes, negotio tamen, et spe quæstûs ac lucri, animo sereni et tranquilli sunt, raròque tristitiæ sese tradunt. Agricolæ BRITANNICI, fortis animi et constantis, laboribus diurnis peractis, fessi domum redeunt; ubi conjugum ac liberorum pignoribus, nitido foco, mundoque victu delectati et refecti, tradunt tristitiam et metus protervis ventis, Diisque cætera ac futura permittunt.

XLII. Ubique terrarum, divites et otiosi, quibus enimvero res abundant, sed quos, præ strenua inertia, deficit animus æquus, sibimetipsis oneri sunt, melancholiæ prædæ. Petunt

tunt navibus bene vivere; petunt quadrigis: sed quid quadrigæ valent, quid naves? quoniam cœlum, migrando, non animum mutant.

XLIII. Res postulare videtur melancholiæ varietates paucis priùs exponere, quàm *MELANCHOLIAM HYPOCHONDRIACAM* quæ harum longè frequentissima est, fusè describendi initium faciamus.

XLIV. *VULGARIS.* — Speciem melancholiæ *VULGAREM* nominavit SAUVAGESIUS, qua affecti se in novas formas materiamve mutari, vel gravibus laborare morbis, falsò credunt.

XLV. Nonnulli, se ex vitro vel glacie constare putantes, timent foràs prodire, ne casus iniquus, aut protervi venti, aut ludentes pueri fragilia corpora comminuant. Alii, sibi nervos prorsùs resolvi opinantes, immobiles lec-

to

to jacent, vel domi tristes torpescunt; neque, nisi metu ruinæ aut incendii injecto, vel nervis a subdubitante medico acu punctis, se propriis pedibus movere coguntur. Quid de muliere dicam? quæ, sicuti fert TRALLIANUS, se secundum ATLANTEM credens, caput movere nolebat, ne orbis, quem sibi videbatur sustinere, fulcro submoto, corrueret.

XLVI. *Erotomania.*—Hanc melancholiæ speciem omnes ferè describunt poëtæ, et fictarum historiarum scriptores. De hujusmodi melancholia, sic dicit ZIMMERMANNUS. "Persons even of the tenderest years, and females from fifteen to eighteen, who possess fine sensibilities and a lively imagination, frequently experience the tender melancholy which solitude inspires, when, in retirement, they first feel the desires of love. This species of melancholy is not symptomatic; for I have frequently seen it an original malady.

"The

"The enthusiastic ROUSSEAU was seized with "it at VEVAI, on the banks of the lake of "GENEVA *."

XLVII. Amatam DULCINEAM, tanquam deam, colebat QUIXOTTUS. Eodem delirio affectus, ARISTOTELES suæ conjugi, sicut deæ, thura obtulit. ORPHEUS, utì ferunt poëtæ, usque eò amore insanivit, ut non timeret TARTARA subire, quò hinc raptam ab ARISTÆO dulcem conjugem, EURYDICEN, auferret †. SOLOMON, quo sapientiorem nullum tradunt sacri scriptores, usque eò amore desipuit, ut, patriæ religionis

---

* Vid. ZIMMERMAN. *On Solitude.*

Vid. ROUSSEAU. *Nouvelle Heloise.*

† Vid. PUBL. VIRGIL. MARON. *Georgic.* lib. iv. lin. 454. et sequent.

ligionis oblitus, plures, pro uno, Deos coleret. LUCRETIUS, amore mente alienatus, propriis sibi manibus mortem conscivit. TASSO, secundus ITALORUM VIRGILIUS, splendidæ fœminæ amore captus, quatuordecim annos deliravit.

XLVIII. Hujusmodi melancholiæ signa complura facetè enumerat PLAUTUS.

" ———*Amorem hæc cuncta vitia sectari solent,*
" *Cura, ægritudo, nimiaque elegantia.*
" . . . .
" —*Amori accedunt etiam hæc, quæ dixi minùs,*
" *Insomnia, ærumna, error, terror, et fuga,*
" *Ineptia, stultitiaque adeò, et temeritas,*
" *Incogitantia, excors immodestia,*
" *Petulantia, cupiditas et malevolentia:*
" *Inhæret etiam aviditas, desidia, injuria,*
" *Inopia, contumelia, et dispendium,*
" *Multiloquium, pauciloquium.*"

PLAUT. *MERCAT.* Act. I. Scen. I.

XLIX. *Nostalgia.*—Hæc, quæ haud dubiè melancholiæ varietas est, nonnullas gentes, præ cæteris, afficit. Helvetii, dummodo peregrè commorentur, huic melancholiæ hominum opportunissimi sunt. Tanta apud eos patrii soli caritas est, cui ab infantilibus annis assueti sunt, tamque iis cari sunt parentes, liberi, amici, et familiares; ut, si peregrè domuitionis spe dejiciantur, subtristes primùm fiant, mœsti, solitudinis cupidi, taciturni; dein cibos fastidiant, vires amittant, vesperè febriant; demumque, de se suisque desperantes, tam animo marceant quàm corpore. Helvetio monticolæ, poëtæ verbis,

" *—every good his native wilds impart*
" *Imprints the patriot passion on his heart;*
" *Dear is that shed, to which his soul conforms,*
" *And dear that hill, which lifts him to the storms:*
" *And, as a child, when scaring sounds molest,*
" *Clings close and closer to the mother's breast,*

" *So*

"*So the loud torrent, and the whirlwind's roar,*
"*But bind him to his native mountains more.*"

GOLDSMITH. *TRAVELLER.*

L. *RELIGIOSA.*—Hæc melancholiæ forma, atavorum ævo, quando omnes ferme homines anili se superstitioni tradebant, frequentior multo visu erat, quàm nostris temporibus. Interdum verò, vel nostrâ ætate, religiosissimi hominum, qui *METHODISTI* nominantur, in hanc melancholiam incidunt.

LI. Mortales hac insaniâ affecti, omnium sanè miserrimi sunt. Inani Deorum metu impleti, atque, unde solatium petant, nescientes, futuræ salutis incerti fluctuant. Haud rarò de salute desperant; et, seu JUPITER tonat, seu de cœlo cadit stella, seu in somniis catulus gannit, seu grunnit porcus, seu intempestâ nocte cantat gallus, futura sibi ab iratis Diis supplicia denunciari putant. Vel, si qua iis

spes

spes futuræ felicitatis relinquitur, divitias spernunt; omnibus voluptatibus sibi interdicunt; squalent corpore, animo lugubres fiunt; dumque se coquunt et cruciant, falsò putant Diis gratum acceptumque facere.

LII. *Argantis.*—Melancholia ex imaginariis morbis, cui hoc nomen dixit Sauvagesius, simplicis enimvero melancholiæ varietatum frequentissima est, et forsan sanatu difficillima. Nostrâ opinione, hæc melancholia idem, per omnia, morbus est, ac *hypochondriasis*, atque Sauvagesius, pro diverso, perperam habet. Hujusmodi enim melancholici plerumque inflatione ventriculi, ructu, aliisque signis cibi non bene concocti, afficiuntur. Quin verò interdum conquerantur de malis et morbis, quibus omnino non urgentur, minimè dubitamus. Talem melancholicum lepidus Molierus in fabulam introducit, et facetè deridet.

det.—Hactenus de simplicis melancholiæ varietatibus.

LIII. *Hypochondriaca.*—Varietatibus melancholiæ, quas diximus, aliam, nempe *hypochondriacam*, addere nobis liceat. Hæc melancholia iis temperamento sanguineo, aut juvenibus, qui, præ annis, hilares sunt, vegeti, cupiditatibus ardentes, versatiles, rerum novarum cupidi, rarissimè obrepit. Eos potiùs mortales contristat, qui temperamento corporis et vergentibus annis serii sunt, pigri, cauti, suspiciosi, animorum suspensi, propositi tenaces. Fœminas rarissimè afficit; quippe quibus laxiores fibræ sint, delicatiores nervi, mobiliora ingenia, animique et ad accipiendas voluptates, et deponendam tristitiam atque malorum metum, molliores.

LIV. Tristis cœli austeritas, quam suprà (XXXIII.) memoravimus simplicem melancholiam inducere animum afficiendo, complicatam melancholiam, de qua nunc dicimus, gignit afferendo detrimentum corpori.

LV. Cœlum humidum et frigidum cutis exhalationem minuit, imò haud rarò supprimit; arterias extremas, cæteraque vasa corporis debilitat; et, dummodo adjuvent ignavia, vestitûs incuria, lucubratio et intemperantia, ventriculum languidum reddit, et invalidum ad cibum et potum concoquendum. His malis superveniunt defectus stomachi, ciborum fastidium, ructus crudi et acidi, vertigo, cordis palpitatio. Seriùs haud rarò ociùsve miseri, qui urgentur tot veris malis, fictis etiam affliguntur. Præsentia cogitando graviora reddunt, simulque torquentur futurorum timore. Subtristes fiunt, demissi, mœsti; afflictant sese; miserantur

serantur parvos liberos; alium atque alium medicum consultant; omnia pavent; demumque, sibi suisque diffisi, animum despondent.

LVI. Vita sedentaria et otiosa cor et arterias languefacit: exercitatio, contrà, incitat languentia; atque, utì sciunt omnes medici, efficit, ut varii humores, ad prosperam corporis valetudinem necessarii, uberiùs constantiùsque secernantur. Motibus cordis arteriarumque languidis, vero haud absimile est, fore, ut sanguis solito tardiùs per *venam portæ* in hepar diffundatur, et ventriculus, nimio sanguine oppressus, fiat ad cibos perficiendos invalidus. Atque homines, quorum stomachus sic infirmatus est, tristitiâ vel melancholiâ affici, nequaquam insolitum est.

LVII. Ebri-

LVII. Ebriositas, porrò, et frequens concubitus præquam vires corporis pati possunt, non solùm ventriculum itidem resolvunt, sed nervos etiam; atque committunt, haud raró, ut cùm corpus languescat, tum tristitiæ se et melancholiæ tradat animus. Naturâ igitur et constitutione corporis melancholicos monet CELSUS, ut frequentem VENERIS consuetudinem cautiùs, quàm angues et lupos, vitent.

LVIII. In fœminis nonnunquam *melancholia hypochondriaca* cum *hysteria* conspirat, atque plurimis eas gravibus malis afficit, quæ hìc recensere non opus est.

LIX. *Sim-*

LIX. *Simplicem hypochondriasin* fusè describere non nobis consilium est. Haud tamen alienum erit, præcipuas notas, quibus cognoscitur, memorare.

LX. Hoc morbo ægrorum stomachus, itemque alvus, præsertim in sinistro *hypochondriorum*, contento spiritu distenduntur: pressus, præcipuè post cibum assumptum, stomachus dolet: glandulæ oris limpidam plerumque salivam secernunt: alvus dura et perquam astricta est: ventriculus spiritum itemque cruda ructat.

LXI. Increscente morbo, caput, hìc illic, gravissimè dolet. Æger aut nocturnâ vigiliâ premitur, aut subinde terretur somniis.

Cor

Cor arteriæque saliunt languidè et imbeciliter. Vano metu, vanisque terroribus impletur animus.

DIAG-

DIAGNOSIS.

LXII. Cùm in memoriam revocemus, quibus causis oriatur melancholia, quibusque cognoscatur signis, nobis difficile in primis videtur, eam aliis morbis, quibus cum ea quorundam signorum communitas est, accuratè dignoscere. Quippe eam modò antegrediuntur *dyspepsia* atque *hypochondriasis*; modò comitantur; haud rarò etiam subsequuntur.

LXIII. HIPPOCRATES hos morbos non quidem inter se distinguit, sed ab aliis, eo, quod illorum commune est, hominum, nempe, societatis et consuetudinis aversatione.

DYSPEPSIA.—

LXIV. *Dyspepsia*— pubescentes utriusque sexûs, puberesve nondum triginta quinque annos natos, qui sanguineo temperamento sunt, præ cæteris, vexat; atque, labentibus annis, paulatim plerumque declinat, tandemque prorsùs desinit. Melancholia, contrà, contristat ætate medios aut provectos, potissimùm mares, quibus est atrum temperamentum; atque, ingravescente ætate, magis magisque inveterascit. Verùm neutiquam tamen negandum est, illum nonnunquam morbum hujus esse molestum comitem.

LXV. *Hypochondriasis*—et melancholia, utì plura inter se communia habent, ita multo difficiliùs separantur. Enimvero eas accuratè dignoscere nemo medicorum quisquam hucusque potuit. Hac de re, nihil certò affirmare audet ipse Cullenus, quamvis diversos opinetur esse morbos.

LXVI. Potissi-

LXVI. Potissimùm, utì putat, differunt animi ægritudine, qua miseros mortales afficiunt. *Hypochondriaci* perpetuò timent adversam valetudinem: nullam auram putantes tam lenem et salutarem, quin iis morbum faciat; nullum morbum tam levem, quin seriùs ociùs afferat mortem. Interea, quod sanè mirum, cætera omnia plerumque sani sunt.

LXVII. Melancholici, contrà, non solùm vanâ semper invaletudine afficiuntur, aut instantem timent, sed etiam sibi suisve semper et undique putant imminere pericula. Timent domi fures; peregrè, latrones. Urbe timent conjugibus, filiabus et filiis: rure timent pluvias, procellas et tempestates; timent pecori, equis et canibus. Superorum iram metuunt; Inferorum pœnas. Timent navibus et mercibus; timent, ne res naufragiis perdant, aut incendiis et ruinis. De rebus tamen, quod in primis mirabile, quas nihil ad

se suosve pertinere putant, sicut sani, loquuntur et cogitant.

LXVIII. *Insania* — et melancholia, potissimùm, utì nobis videtur, differunt gradu animi ægritudinis, quam inducunt; neque possunt semper accuratè distingui. Plerumque tamen dignoscere poterunt medici, si animadvertant, de quibus præcipuè delirent animo ægroti. Melancholici plerumque, de se tantùm aut suis, delira fantur et cogitant. Insani de plurimis, imò plerumque omnibus, desipiunt; atque non modò res, utì existunt, non percipiunt, sed vana quoque sibi fingunt, et tam de veris, quàm de fictis, perperam ratiocinantur.

PROGNOSIS.

PROGNOSIS.

LXIX. De melancholia, nihil in futurum certò præsagire possunt medici. Percunctari igitur debent ex amicis, quibus causis animi ægritudo orta sit; quomodo obrepserit; quamdiu jam continuaverit; unquamne paululùm remittat, an ita, ut cœpit, continuet; melancholicis, necne, parentibus æger ortus sit; quem ætatis annum agat: etiamque animadvertere, qualis vultus sit; quale corporis temperamentum, quis habitus, quæ vires: atque, his cognitis, judicare, menti, necne, sanitatem restituere medicina possit.

LXX. Si melancholicus nondum ætate provectior, aut grandis natu est; si protervitate amicæ tristis est, aut quia uxori nubet; si patriæ aut amicorum desiderio demissus est: de reditu sanæ mentis, non desperandum est.

LXXI. Sin grandævus aut senex est, et melancholicis parentibus natus, et morbo diu jam afflictus; rariùs multo ad sanitatem redit: et, si quando redeat, seriùs plerumque ociùsve in melancholiam, eamque graviorem, recidit; neque profectò raró fit, per omnia, insanus.

CURATIO.

CURATIO.

LXXII. Quò medicus ægrotum melancholici animum ad sanitatem perducat, ante omnia considerare debet, unde orta sit ægritudo. Quinetiam, utile erit melancholico ipsi exponere, quemadmodum se habeant mala, quibus affici sibi videatur: et haudquaquam subdubitare, quin existant; sed adductis exemplis ei injicere fidem, neutiquam periculosa esse, neque opus quamobrem saluti desperet, aut uxori timeat liberisve, quum vix dubium sit, quin, se carum habendo, atque medicinâ ad sanitatem redeat.

LXXIII. His factis, oportet medicum quàm maximè avertere ægrum melancholici animum a tristibus, quibus solicitatur; simulque corporis proprietatem, unde gignitur aliturque ægritudo, in melius mutare; demumque, ægritudine sanatâ, præcavere, ne tristia redeat.

LXXIV. *Consilium primum.* — Animus melancholici eodem ferè modo, utì Culleno videtur, curandus est, atque is *hypochondriaci.* Sed, quoniam melancholicus plerumque quædam saltem, sicut insanus, secùs, atque sunt, imaginatur et judicat, opus sit arte quadam, qua ejus animi ægritudo sanetur.

LXXV. Animus averti potest a rebus, quibus contristatur, ei res novas, quibus oblectetur, offerendo; affectus iis contrarios movendo, quibus, ex vano, demittitur, verosque commiseratione levando; vel, denique, vanos ipsos curando perinde, ac si veri essent.

LXXVI. Melancholico, ut affectus expleat, quibus contristatur animus, quamprimum, modò fas sit, permittendum est. Peritne amore? ei, obsecramus, ni prohibeat quid, permittatur, ut domum amatam ducat. Pauperiemne timet? ei ostende, unde quæstum faciat. Cælebsne est? eum fac certiorem, qua ex domo virginem, vixdum premi aptam, et cùm imaginibus tum formâ et pecuniâ dotatissimam, uxorem ducat. Timetne pro poëmate aut fabulâ, quam extuderit? ei persuade, nihil majus meliusve mortalibus fata donâsse bonosque divos. Si, provectior ætate, mortem metuat; ei in memoriam revoca, etiamsi cita mors clarum ACHILLEM abstulerit, longâ tamen senectute minutum TITHONUM. Hìcne pecus scabie perit? ostende, illic sata, vineta, et oliveta ridere.

LXXVII. Si lætis non cedant tristia, navigent melancholici ANTICYRAM, aut quò velint.

lint. Rerum enim novitas, qua peregrè delectantur *, melancholicis pariter, quàm insanis, hilaritatem et mentis sanitatem, haud rarò restituit. Delectatio, porrò, quam a musica et libris accipiunt melancholici, animo interdum tristitiam secludit. Eorum quoque animum nonnunqum, mirum in modum, hilarat familiarium amicorumque consuetudo. Neque profectò quid magis, quàm solitudo, demittit. Quàm verè poëta!

" *Chiefly, where* Solitude, *sad nurse of care,*
" *To sickly musing gives the pensive mind,*
" *There madness enters: and the dim-eyed fiend,*
" *Sour* Melancholy, *night and day provokes*
" *Her own eternal wound.* . . . .

" *The*

* Vid. Gregor. Disputat. Med. Inaug. *De Morb. Cœl. Med.* pag. 60.

"*. . . . . . . The prostrate soul beneath*
"*A load of huge imagination heaves,*
"*And all the horrors, that the murd'rer feels,*
"*With anxious flutt'rings shake the guiltless breast* *."

LXXVIII. Quando ex morbis imaginariis melancholia oritur, utilissimum erit tristi suggerere, quantum commodi capiat ab exercitatione sub divo, aliisque delectationibus, quibus capiendis aurâ salubri vescatur, atque animus tristia, quæ occupant et demittunt, ad tempus deponat.

LXXIX. Quinetiam, non solùm utile est, melancholicorum animos a tristibus, quibus solicitantur, novis oblatis avertere, sed etiam affec-

* Vid. ARMSTRONG. *Art of preserving Health*, Lib. iv. lin. 90.

tus vanis contrarios movere, quibus demittuntur, verosque commiseratione levare. Iratusne est melancholicus? ei injice timorem. Ploratne, sicut ACHILLES, interfectum amicum? suade, sicut THETIS, ut uxorem cum dote quærat, quæ pulchrâ prole parentem faciat. Mœretne autem caræ uxoris mortem aut unici filii? commiserare mœrorem, neque time, si possis, flendo lachrimas ciere; lachrimis enim obortis levatur mœror.

LXXX. Quòd si hæc (LXXVIII. et LXXIX.) parùm valent, oportet medicos simulare vultum misericordiæ; videri melancholici miseriis et malis utcunque vanis moveri; atque sic dolo mente errorem depellere. "Quorundam enim," inquit CELSUS, "vani metus "levandi sunt.—Sæpius tamen assentiendum, quàm repugnandum est: paulatim"que, et non evidenter, ab his, quæ stul-

"tè

"tè dicuntur, ad meliora mens abducen-
"da*."

LXXXI. Multi melancholici in medicorum scriptis memorantur, quorum tristes cogitationes sic discussæ sunt, et menti restituta sanitas. Hac ratione TULPIUS melancholicum sanavit, cui, utì sibi videbatur, ossa cerea erant, et qui propriis pedibus stare aut ambulare nolebat. TULPIUS, simulatâ gravitate, vultum miserantis fefellit: assensit, gravem enimvero morbum esse, at medicis haudquaquam ignotum: atque pollicitus est, si præscripta faceret, ossibus brevi firmitatem et duritiam restituturum. Conditione aceptâ, TULPIUS inefficax aliquid, cujus tamen mirabilem virtutem

* Vid. AUREL. CORNEL. CELS. *De Medicin.* Lib. III. cap. xviii

virtutem in cœlum extulit, assumendum dedit. Tribus diebus, quoniam medicamentum jam mirabiliter profecerat, cereo permissum est, ut propriis pedibus paulisper staret: neque multò pòst, cùm nullum stando detrimentum cepissit, ei permissum, ut etiam ambulatione uteretur. Sic unius dolo mente alterius error felicissimè depulsus est *.

LXXXII. Quibusdam, contrà, insanis repugnandum est. Quippe non solùm ipsi continendi, sed etiam audacia coërcenda minis, interdum etiam plagis, adhibitis. "Quorundam etiam," inquit CELSUS, "intempestivus risus objurgatione et minis prohibendus est †." Sed, utì hæc

* Vid. TULP. *Observat. Medic.* Lib. I. cap. xviii.

† Vid. AUREL. CORNEL. CELS. *De Medicin.* Lib. III. cap. xviii.

hæc non unicuique insano conveniunt, ita omnibus melancholicis multùm nocent, neque raró his perfectam insaniam movent.

LXXXIII. *Consilium secundum.*—Ut proprietas corporis, quæ gignit alitque melancholiam, in melius mutetur, idoneum erit, omnia, qualiacunque sint, quibus contristetur animus, quàm maximè vitare, et mala levare, quibus sibi videatur urgeri miser.

LXXXIV. *Cœli mutatio.*—Oportet igitur melancholicum ex cœlo austero, pluvioso, et frigido peregrè abire in lætum et sudum: ubi omnia rident; ubi lenes auræ, montes et valles, lapsus fluminum, dulcedo fructuum et odoris suavitas, avium concentus, omnem sensum permulcent voluptate. Peregrinatio, sub tali cœlo, melancholici animo pariter, ac corpori, proderit.

LXXXV. *Purgatio.*—Eundem in (LXXXIII.) finem, tarda alvus semel quotidie leniter movenda est catharticis, ex iis quæ neque acria nimis sunt, neque quotidiano usu stomachum alvumque resolvunt et infirmant.

LXXXVI. *Stimulatio.*—Torpor quoque corporis totius, qui omnium melancholicorum communis est, requirit usum medicamentorum remediorumque, quæ jucundè et salutariter stimulant. Hoc faciunt exercitationes quædam, velut equitationes, JOVE sereno, saltationes, etiamque, compositâ horâ, matutinæ aut vespertinæ in amœnis locis ambulatiunculæ; balneum, cui succedit frictio; lenes ictus *electrici;* opium cautè adhibitum. His accedat modicus vini usus. Lepidè enim HORATIUS:

"*Neque*

"——————————————Neque
" *Mordaces aliter diffugiunt solicitudines,*
" *Quis, post vina, gravem militiam, aut pauperiem*
" *crepat?*
" *Quis non te potiùs,* BACCHE *pater, teque, decens*
" VENUS?
" *At, ne quis modici transiliat munera* LIBERI,
" CENTAUREA *monet cum* LAPITHIS *rixa, super mero*
" *Debellata*.*"

LXXXVII. — *Diæta.* — Melancholici neque carnibus, ex toto, neque terræ frugibus, vivere debent. Cibus enim ex carnibus, non solùm alvum tardat, sed etiam intendit fibrarum rigiditatem: cibus, contrà, ex terræ frugibus, stomachum sic infirmat, ut assumpta nequeat perficere. Melancholicis igitur optimè convenit cibus, qui partim ex farraceis constat, partim

* Vid. QUINT. HORAT. FLACC. *Carmin.* Lib. i. Od. xviii.

partim ex elixis jurulentisve carnibus.—Potus, hujusmodi tristibus maximè forsan idoneus, est *alcohol saccharinum*, aquâ multâ temperatum. Cerevisiæ enim, quippe cùm ventriculum inflent, vix possunt tutò ab iis adhiberi.

LXXXVIII. *Dyspepsiæ curatio.—Dyspepsia*, si, ut haud rarò, melancholiam comitetur, idoneo regimine, idoneisque medicamentis et remediis curanda est; at quæ recensere et exponere, non nobis consilium est.

LXXXIX. CONSILIUM TERTIUM. — Cæteris rei nostræ partibus absolutis, tantùm restat, ut breviter dicamus, quibus præcaveatur, ne, ægritudine animi sanatâ, homo denuo melancholiâ contristetur.

XC. *Mentis delectatio.*—Si curatio, quam proposuimus, jam ad spem responderit, tunc,

CELSI

Celsi verbis, "servanda alvus quàm tenerri-
"ma: removendi terrores, et potiùs bona
"spes afferenda: quærenda delectatio ex fa-
"bulis, ludisque, quibus maximè capi sanus
"assueverat: laudanda, si qua sunt, ipsius
"opera, et ante oculos ejus ponenda: leviter
"objurganda vana tristitia: subinde admo-
"nendus, in his ipsis rebus, quæ solicitant,
"cur non potiùs lætitiæ, quàm solicitudinis
"causa sit *."

xci. *Exercitatio corporis.*—Utì melancholicorum mens fabulis ludisve delectanda, ita corpus aliquo labore exercendum est. Labor modicus, præterquam quòd corpus exercet, et sanguinem in omnes hujus partes æqualiter distribuit,

* Vid. Aurel. Cornel. Cels. *De Medicin.* Lib. iii. cap. xviii.

distribuit, animum magis occupat, quàm ambulatio equitatiove, in quibus utendis hic haud raro sine corpore latè longèque peregrinatur. Ex omnibus autem operibus, quibus occupari solent mortales, nulla æquè, ac hortensia, melancholicos alliciunt; nulla tentata magis delectant, aut sæpius animo meliùsve depellunt vanum metum et tristitiam.

XCII. Denique, utì nulla corporis melancholicorum exercitatio gravis aut longa, ita nulla animi delectatio nimia, esse debet. Debilitabit enim corpus omnis intemperantia, et convalescentem denuo afficiet tristitiâ et metu.

FINIS